

Statuta legenda in Admissione Studiosorum Chirurgiæ *ad* praxin Chirurgiæ, *ad quorum Observationem singuli tenentur.*

CHIRURGIÆ studiosus duas Anatomias faciat, tres ad minimum Curationes se fecisse probet, antequam admittatur ad Praxin Chirurgiæ.

Volumus, & admittendos coarctamus, nè quis infra limites hujus Universitatis publicè vel privatim tanquam Practicator in ista facultate se intromittat, nisi hic vel alibi in Medicina rexerit, vel ad Legendum licentiatus fuerit, seu per aliquem hic in Medicina Regentem, ut idoneus, D. Cancellario seu ejus vices gerenri fuerit præsentatus.

Insuper, ut in istiusmodi Admissionibus quisque tam ad Legendum quàm ad Practicandum per duos terminos infra biennium in ista Universitate se Lecturum, sub pœna viginti solidorum communi cistæ infra dictum biennium solvendorum.

Singuli qui hîc Gradum aliquem subituri sunt, astrictos & devinctos esse se intelligant, ut Statuta ac hujus Universitatis probatas Consuetudines pro viribus observent; útque ejusdem Universitatis pacem nullius rei prætextu perturbent, quin eos quos sic pacem perturbare noverint ad Cancellarium seu ejus vices gerentem quamprimum deferant: quod denique honorem hujus Universitatis nostræ pro virili augeant, ornéntque.

Quilibet Graduatus dum moram traxerit in nostro municipio, habitum habeat de proprio, Gradui suo competentem, quo Inceptionibus illius Facultatis cujus est Scholaris interesse poterit.

Si non sit Graduatus, hæc tria Statuta omittantur.

Postremò, Statutis nostris cautum est, nè quis hîc ad gradum aliquem admittatur, nisi se obedientem fore Cancellario aut ejus vices gerenti juraverit, seque sua Privilegia renunciaturum, in quantum Privilegiis & statutis Universitatis contrariantur: Salvâ tamen semper Compositione inter Universitatem & Collegium Regale factâ.

Jurabis quòd hæc omnia observâsti & observabis, nisi aliter per gratiam ab Academia concessam dispensatum tecum fuerit, sicut te Deus adjuvet, & sancta Dei Evangelia.

Ex Decret. Academ. Jun. 1684.

Jurabis quod in Bibliothecam publicam admissus nihil quod ad ipsam pertinuerit sciens volens corrumpes, aut imminues, nullum librum permutabis, auferésve, aut ipse per te, aut per alium quemvis, nisi eo modo, iisque conditionibus, quæ per Universitatis Decreta requiruntur: Quódque sis jure isto tuo sincerè & bona fide usurus, atque omnino ita ut (quantum in te est) nihil inde accrescat Bibliothecæ damni, Ita te Deus adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia.